

tam presentibus quam futuris, quod nos homines civitatis Averse, ad fidem et nostra beneplacita redeuntes humiliter et devote, velut qui inviti recesserant ab eisdem, in plenitudinem nostre gratie et favoris nostri gremium admittentes, culpas omnes et offensas quaslibet eis remittimus, quas hactenus contra maiestatem nostram propter varietatem et malitiam temporis visi sunt commisisse adherendo ecclesie vel iurando eidem. Et ut in conversione sua laudabili favorem sentiant fructuosum, privilegio presenti promittimus, civitatem ipsam in nostro demanio perpetuo retinere neque ipsam alicui concessuri, et conservaturi eam in eo statu et forma, in qua est hodie, tam in muris et fossatis suis, quam sticcato; honores omnes, dignitates ac tenutas et iura, que ad presens habere et possidere rationabiliter dignoscuntur, necnon bonos usus omnes et consuetudines approbatas, quibus usi sunt homines civitatis ipsius tempore domini regis Guillelmi secundi usque ad obitum^a divi augusti Friderici, genitoris nostri recolende memorie, confirmantes eisdem. Quibus etiam presenti nostro privilegio confirmamus terras omnes et possessiones quaslibet pheudales, quas ad presens iuste tenent et possident et hactenus rationabiliter tenuerunt, privilegia omnia, indulta per divos progenitores nostros et per nosmet tam ecclesiis Aversanis, quam universitati et cuilibet de universitate ipsa, scripti presentis munimine confirmantes eis, salvis in omnibus et per omnia honore, fidelitate, mandato et ordine nostro et heredum nostrorum. Ad cuius igitur rei memoriam et robur perpetuo valiturum presens privilegium per magistrum Vitalem de Aversa, notarium et fidelem nostrum, eis exinde fieri et sigillo nostre celsitudinis iussimus communi.

Datum Orte per manus Gualterii de Odra, regnorum Hierusalem et Sicilie cancellarii, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo quinquagesimo nono, mense Martii secunde indictionis.

S. Paolo zu Barete.

Friedrich II. bestätigt seinen Getreuen, dem Erzpriester und dem Kapitel, die Schenkungen der Stefania, der Gattin weiland Boemunds von Barete, und Anderer, aber *nisi sint de feudis etc.* und *salvo mandato et ordinatione nostra.*

1225 April, Messina.

a) *obsidionem.*